ad patrem. tanquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus uiro qui ex deuotione seruum dei uisitare solebat. uelud sibi molestum foret apud patris absentari conspectu. escam recusauit omnino. Reportatus tandem ad famulum dei. statim ut conspexit eundem quibusdam hylaritatis pretensis gestibus. auide manducauit. Cum ad heremum peruenisset aluerne, pro quadragesimam celebrandam in honorem archangeli Michahelis. diuersi generis aues circa ipsius cellulam uolitantes. concentu sonoro et leticie gestibus quasi de eius aduentu gaudentes. patrem pium inuitare ac allicere uidebantur ad moram. Quod uiso dixit ad socium. Cerno frater uoluntatis esse diuine. quod hic aliquamdiu commoremur. tantum sorores auicule de nostra uidentur presentia consolari. Cum igitur contraheret ibi moram falco ibidem nidificans magno se illi amicitie federe copulauit. Nam semper horam nocturno tempore in qua uir sanctus ad diuina officia surgere solitus erat. cantu suo preueniebat et sono. Quod famulo dei gra

Lizenz: CC-BY-NC – Luzern, Provinzarchiv Schweizer Kapuziner Luzern, PAL L, f. 52r – Bonaventura, Legenda maior s. Francisci . Vita beati Antonii (http://www.e-codices.ch/de/pal/L/52r)